

Geschichte
des
Altstädtischen Gymnasiums.


Zwölftes Stück.

Von
Michaelis 1835 bis dahin 1836.

Womit zu
der öffentlichen Prüfung aller Classen
am
6ten October Vormittags von 8 Uhr und Nachmittags von 2 Uhr an
ergebenst einladet
der
Director Struve.

Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrers Dr. Gryczewski:
„De nomine adverbiascente latino."

Königsberg, 1836.
Gedruckt in der Degenschen Buchdruckerei.



De nomine adverbiascente latino.

Adverbiorum latinorum terminationes animo contemplanti quatuor praecipue obversantur genera, primum eorum, quae ad stirpem adiectivi in us, a, um desinentis e adnectunt; deinde quae a genitivis adiectivorum in is, ax, er, exeuntibus derivata, terminationem ter, elisione τοῦ ῐ interdum interveniente, sibi vindicant, quemadmodum acriter, communiter, audacter, difficulter. Huc etiam accedit, quod comparativorum adverbia in ius plerumque, superlativorum pauca praeter exempla in e formata invenimus. Tertium genus adverbiorum ab adiectivis deductorum genitivo Sing. n. terminationem tus adtexit. Sic ab antiquus et divinus adiectivis antiquitus et divinitus profectum est, a voce vero communis, eliso sigma communitus. Itemque substantiva eiusmodi adverbia, ut coelum coelitus, fingunt. Quartum denique locum adverbia in tim desinentia obtinent, verbi causa, viritem vicatim, gravatim, pedetentim, meatim, nostratim. Reliqua vero adverbia, quae ad communem genus redigi non possunt, itemque adverbia numeralia et motum significantia haud immerito silentio praeterire nos posse arbitramur. Vero enimvero praeter illa, quorum terminationes commeravimus, magna oculis nostris multitudo obversatur vocabulorum, quae notione ad verbiorum praedita, sed nihilo secius terminationes nominis prae se ferentia, nulli horum abverbiorum generi, dummodo terminationum rationem habueris, adstringi possint. Quae voces, si in dubitationem vocantur, vel substantivorum vel adiectivorum esse casus manifesto deprehenduntur. Hosce vero casus adverbiascere dicimus. Quarum vocum aliae originem perspicue indicant, aliae mutata vel elisa vocali naturam suam inquirentes in errores inducunt. Tota igitur de hac re disputatio in tres primarios dividitur partes, primum de substantivis, deinde adiectivis adverbiascentibus, denique de iis vocibus, quae cum praepositio accesserit ambaeque voces in unam quasi coaluerint, in adverbiorum naturam, modo significationem respexeris, se insinuant. Quibus exemplis illa ad iungamus, quae ex substantivo et adiectivo in unam vocem conflata, adverbiorum potestatem nacta sunt.

Omnes nominis casus naturam adverbiorum sibi posse arrogare, quis est, qui ambigat; sed quod latinum quidem sermonem attinet, dativus adverbiascens, quod scio, non reperitur. Huius autem rei causa in eo est posita: quod principalis ac genuina dativi notio remotiori ut Grammatici dicunt, obiecto adsignata, nec facile in adverbii indolem transire potuit et ablativi natura notiones, quae adverbiorum sunt maxime propriae, motus et quietis, temporis et loci plerumque comprehendit. Quare exempla adverbiascentium ablativorum creberrima inveniri non miremur.

De substantivis abverbiascentibus.

Nominativus substantivi abadverbiascens nusquam invenitur. Nam qui fieri potuit, ut substantivi nominativus in hunc abierit usum. Itemque genitivi, qui abverbiascit, exempla haud crebra exstant eademque in augustam illam loci notionem conclusa sunt, praeter adverbia quotidie et postridie, de quibus paulo post disputabimus. Eiusmodi genitivi sunt domi, militiae, belli, humi. Quibus in dictionibus Latinos rationem nominum, quae urbium sunt, esse secutos ex eo, quod hae voces primam secundum et alteram declinationem flexae sunt, patet. Genitivi autem adverbiascentes belli et militiaeque apud scriptores et solutae orationis et qui orationem versibus adstrinxerunt, non nisi cum alio genitivo, ut notioni domi opponantur, coniuncti, leguntur, quemadmodum, domi militiaeque Liv. 1. 35. belli domique Liv. 1. 36. domi bellique Plaut. Capt. 1. 6. 8. humi Liv. IX. 18. Neque genitivus viciniae ab hoc usu abhorret, ut proxumae viciniae habitat, Pl. Bacch. 2, 2, 27, quam quem apud eundem poetam ablativus in simili sententiarum connexu usu venit, foris concrepuit proxima vicinia.

Neque accusativorum abverbiascentium exempla ita sunt frequentia, ut diligenti quaestioni sufficiant. Quoniam in accusativi natura ut motum in locum significet, est positum, quid est, si plures voces hanc servant consuetudinem, quod nos offendat? Huc primum spectant accusat. domum et rus, quorum nominativi usu frequentantur. Foras quoque proprie esse accusativum plur. obscletae stirpis fora. 1. 9. ianua ex voce foris, quae manifesto abl. eiusdem est stirpis, maxime perspicitur. Utraque autem forma significationes, quae abl. et accus. sunt propriae, exhibet. Item vicem huic usui non refragatur, fortasse ex integra dictione invicem, ut coram ex incoram natum. Quae quamquam res multis apud Lexicographos exemplis est testata, tamen unum ex Plaut. Rud. 11. v. 34. adducamus, „vos respondetote istinc eorum vicem. Adverbium coram seu a cora i. e. praesentia seu, ut Sclellero magis placet, a Graecorum κόρη deductum, accusativum esse manifesto indicat dictio in coram pro in cora, ut simili modo praepositio in acc. regit, ubi abl. exspectamus, in custodiam, in carcerem, in vincula. Quacirca coram pro adverbio ponitur, „ad aciem ipse coram offert" Liv. 2, 47. In voce autem partim per maiores nobis enitendum est difficultates. Omnis grammaticorum sententiae congruut, partim a. stirpe,

pars esse ortum, quemquem haec forma accusat. raro ad modum apud scriptores deprehenditur verbi causa apud Livium, partim copiarum ad tumulum mittit, partim ipse in aciem ducit 26. 46. partim sum earum (sc. fabularum) exactus. Ter. Hecyr. prol. 11. 7. Hunc vero accusativum ad nominativum partis, qui usu exciderit, referri posse, cum multi nominat. in s, praecedente consonanti, desinentes ex eiusmodi sint orti syncopen, Schneideri est sententia. Lat. Gr. 11. 1. p. 221. Nihil, decurtatum nihilum et quid, quae utraque vox pro substantivo ponitur, saepo adverbiascere, vix commemoratu est dignum; „nihil comparare singula necesse est. Liv. 34. 32. ignarus, quid arcessitus esset. Liv. 40. 15. Mirari Persea, quid in Macedoniam exercitus transportati essent. Liv. 42. 36.

Adverbia autem, quae prae se ferunt terminationes abl., si significationem consideramus, in tria distribuuntur genera. Primum igitur genus est eorum adverbiorum, quae notiones modi et rationis qua quid fit comprehendunt, alterum, quae quietem vel motum e loco definiunt. Tertio loco sequuntur, quae in temporis notionem cesserunt. Quae omnes significationes ad ablativum pertinent. Ad primum illorum adverbiorum genus referamus forte, (zufällig), quia forma nominat fors derivata in hunc abiit usum, quam exemplis testari haud operae est. Quae quoque vox primariam notione retenta substantivi potestatem obtinet, ut forte quadam utili ad tempus. Liv. 3. 4. Nec nunquam ut orationis vis augeatur, aliis adverbiis apponitur exempli gratia, forte temere. Terent. Phoen. v. 1. 30. v u l g o (gewöhnlich) Liv. 1. XI. de eo dicitur quod in vulgo i. e. saepe fit, unde huius abl. potestas n u m e r o vel numere (numere autem Latini dicebant, quod obliti, unde haec vox esset profecta, ei talem dederunt terminationem, quasi esset numerus adiectivum). Omnibus locis significat so eben, id ipsum, cum maxime, modo, respondetque Graecorum ἀριθμός. Graeci enim ἁρμοῖ, i. d. est dativ. ἁρμῷ, dicunt; ἁρμὸς est ἀριθμός atque in re musica et palaestrica numerum significat, quadecausa coniunctae sunt temporis et numeri significationes; numero dicis Pl. Casina. 14. 5. 21. „o Apello, o Zeuxis, cur numero estis mortui;" J o c o ut i o c u l o abl. in eundem cedunt usum; res ipsa in aperto est; nam saepe opponuntur voci serio; iocon' an serio haec dicat — Terent. Heaut. T. 3, 230. Quae tamen vox et extra hanc coniunctionem posita invenitur, si ioculo dixisset mihi. Pl. Merc. V, 4. 33. occipito illis afferre vim ioculo Plaut. Rudens III. IV. 25. c u r r i c u l o abl. adverbii potestate est potitus, ut pro cursim, celeriter, dicatur curriculo occepi sequi. Pl. Epid. 1. 1. 13. curriculo percurre. Terent. Heaut. T. 4. 4. 13. Alibi propriam abl. vim obtinet, ita celeri curriculo fui. Pl. Stich. 22. 13. Eandem sententiam de adverbiis merito et immerito ferendam esse censeo, quae nequaquam ad part. meritus, a, ut, ut sit dictum pro merito modo, sed ad subst. meritum referenda sunt. Quod dictiones merito meo, suo, immerito meo etc. testantur. Consules immerito increpari ait. Liv. 4. 13. An si ad calculos eum respublica voces, non merito dicat, annua aera habes, annua opera ede? Liv. 5. 4. In eadem causa sunt gratis et ingratis ut apud Cic. et Liv. quidem legitur. Apud Comicos vero sententia Benthlei, qui hunc in modum disputat, ad Terent. Adelp. 4. 7. 26. legi

debet gratiis" recte Fermus, inquit „ut Ter. Phormio III. 2. 15. et saepe apud „Plautum; licet interdum, ut hic, depravatum. Mostel. 1. 3. 19. „Neque pa„tiar te istam gratiis laudasse, quae placet mihi. Pers. 11. 4. 14. „At non „sum ita ut tu gratiis." „Sic legendum esse vel versus ostendunt; libri tamen „ibi gratis. Certum est nec Nostrum nec Plautum dixisse gratis, semper τρι„συλλάβως gratiis." Quo clare efficitur, unde gratis prodierit. Ad eademque normam ingratiis redigendam esse arbitror. Quod adverbium contra veluntatem, non sua sponte significat, ut Terent. Eunuch. „Opus faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam. Phorm. v. 6. 48. Pl. Curc. 1. 1. 6. Tamen est est eundum, quo imperant, ingratiis. Apud Cic. et ingratiis et, contractis ultimis syllabis, ingratis, legitur. Ablativus sponte ubique substantivi propriam indolem servat.

Paucis disputationem de causa et gratia, si praepositionibus propter, ob, respondent, absolvamus. Nam genitivum regunt, quandoquidem sunt genuini ablativi, et mea, tua, sua, nostra gratia, causa dici deberi, rei ipsa fert natura. De adverbio ergo, quod cognatae est significationis pauca addimus. Quae vox, subtantivi indole omissa, in adverbium mutata est atque ex Graecorum ἔργον videtur fluxisse, ita ut significatio in der That, aus dem Grunde, in adverbii potestatem, demnach, daher, wörtlich, transire potuerit. Ergo, addito igitur adv., dictum reperies apud Plaut. Trinum. 3. 27. Quo pacto ergo igitur, dictionem, itaque ergo, Liv. 1. 25. modo adverbium c. q. tantum nur ad substantivum modus forsitan pertineat, ut vide mode siehe nur pro vide quodammodo, vide ut liebat, dummodo videris, dictum sit. Haec autem vera esse, contendere non ausim. Adverbii oppido i. q. valde mentionem tantum iniiciam, quod terminatio quodammodo huc videtur pertinere, nam Grammaticorum insomnia, quasi dictum sit de eo, quodvel urbi sit satis, afferre non immerito possim suspersedere.

Oratio de ablativis adverbiascentibus, quae motum vel quietem indicant, propter exemplorum inopiam haud diu nos morabitur.

Foris, ut supra dicimus, ab obsoleto vocabulo declinatum opponitur notioni domi. Formae ablativi vocis rus ruri et rure nullo inter se discrimine apud Comicos leguntur. Prolixius de discrimine harum formarum apud optimos scriptores disputat Schneiderus*) Lat. Gramatik II. 1. p. 234. Ablatativi terra, mari, separati et coniuncti si leguntur, ut oratione brevi et circumcisa rem absolvere liceat, adverbii sibi vindicant vim. Jamiam eo delati sumus, ut ad ablativos adverbiascentes, qui temporis notionem complectuntur, exponendos aggrediamur.

---

*) Die Form ruri findet sich nur in der Bedeutung auf dem Lande, nach Art eines Adverbs gebraucht, aber nicht minder üblich ist in diesem Fall rure, welche Form Jestus mit Unrecht verwirft, und wenn der wirkliche Ablativ statt findet (z. B. wenn eine Präposition oder Attribut hinzukommt, oder die Frage woher zu beantworten ist, so gestattet die bessere Latinität nur rure Also: ruri oder rure vivere, aber rure frui, rure paterno, rure redere. Nur bei Plaut. Most. 5. 1. 28. Trucul. 3. 21 u. 28. findet sich ruri auf die Frage woher.

In exordio commemoremus, terminationes plurium huiusmodi ablativorum sibi non constare sed inter vocales ī. ū. ē. variare. Ablativo tempore vel tempori non solum temporis potestas tribuitur, sed huic significationi notio opportunitatis admiscetur, ita ut idem, atque opportune, mature, valeat. Utraque forma tempori et temperi apud Comicos exstat, (verbi gratia tempori Plaut. Rudens 4. 2. 16. Pseud. 1. 3. 153. temperi Pl. Merc. V. 4. 30. Cas. 11. 6. 60.) et ab utraque comparativus temporius et temperius ita ut utra forma alteri sit praeferenda, diffile sit diiudicare. Sed apud scriptores solutae orationis bonos invenitur tantum tempore et in tempore. Schneid. lat. Gr. 2. 1. 235. Adverbii quod noctis tempus denotat, tres reperiuntur formae, nocte, nocti, noctu; nocte Liv. 2. 6. noctu Liv. 3. 5. nocti Liv. 44. 35; aut nocti aut die. Pl. Merc. Proleg. 4. Huc trahi debet adverbium diu, quod proprie esse ablativum antiquum vocis dies inclarescit vel ex dictione diu noctuque Pl. Casin. 4. 4. 5. Significatio igitur vocis diu transit in notionem, quod per totum diem i. e. per longum tempus fit. Unde adv. dudum compositum esse ex diu et dum, facile perspicimus. Formas autem interdius et interdiu aliter explicare non possum, quam antiquissimos Latinos pro acc. plur. dies pronunciasse dius, unde interdius fluxerit; sigma vero progressu temporis, cum adv. interdius compararetur cum noctu et diu et similiter ac diu ac aures perveniret, esse omissum. Apud Comicos utraque forma exhibetur nunc negotiosus interdius. Pl. Casina 3. 53. 9. et quae sunt exempla: luci. Apud Latinos Comicos haec vox si adverbiascit, semper ī. terminatur, ut exempla testantur, tandem ut veniamus luci Pl. Cas. 4. 2. 7. Cistel. 2. 1. 48. Menech. V. 1. 17. Neque a praepositionibus haec vox nunquam pendet, ut mane cum luci Pl. Merc. 2. 2. 31. cum primo luci Terent. Adelphi V. 111. 15, ubi omnes editiones praeter Benthleianam lucu praebent. Benthlei haec adillum locum commentatus est; „lucu apud Donatum scribitur, sed rectum est luci, ut codex Fabri„cianus in textu habuit. Ita Charisius ex Sisenna laudat, luci adverbium ī termi„netur, ut mani et sic saepe apud Plaut. nunquam autem lucu. Ablativus contra mane adverbiascens semper in e exit; si vero substantivi potestatem retinet, terminationem in i non repudiat, quemadmodum a mani usque ad vesperum Plaut. Poenul. 3. 3. 37. Nisi dudum a mani ut ad portum processimus. Mostell. 3. 2. 80. Similique modo vesper, si secundum declinationem III flectitur formas vespere et vesperi praebet. Sed utraque forma in adverbii usum cessit et vesperi apud optimos scriptores frequentius usu venit, quam vespere. Schneid. lat. Gr. 11. 1. 235. Sed ablativi potestate vesperi in his modo dictionibus, de suo, aliorum vesperi coenare, vivere, utitur. Huc quoque, si terminationis habueris respectum, rite spectat; nam vice versa, ut diu prodie, sic rite pro abl. ritu, nedum e Stat. Th. XI. 285 rite nefasto citem dictionem, scriptum esse arbitor. Quamquam heri vel here propter terminationem ad hoc adverbiorum genus videtur pertinere, tamen res ad liquidum perduci non potest. Ad ea quorum iniecimus mentionem, abl. principio et initio, am Anfange, anfangs, adducamus, qui cum temporis quaedam notio inest, facile in hunc abieruut usum.

De adiectivis adverbiascentibus.

Si casus adverbiascentes, qui ab adiectivis videntur profecti esse, in dubitationem vocaveris, tres modo casus, nominativ. acc. et abl. adverbii notionem sibi induere, lucide tibi apparuerit. Maximam autem partem haec adverbia, quae terminationes acc. vel ablat. ostendunt ex ellipsi temporis, et loci viae et partis, modi et rationis originem duxerunt. Quorum secundum similitudinem plura fingebantur adverbia, ad quae quod suppleres haud facile invenires. Primum igitur adverbia quae ad ablativos adiectivorum referantur, investigemus. Quorum in numero, plura exempla, quae ellipsin non admittant, deprehendas. Plerumque vero, ut ante monuimus, loci, partis, viae, temporis modi et rationis sunt notiones subintelligendae. Ad adverbia quae sequuntur, notiones loci, viae, partis subaudiri debent. Ad adverbium igitur recta, quod idem atque in recta via (ut Liv. 3, 46, si in recta via profectus esset,) valet, suppleri posse notionem via, qui est, qui non videat. Pergere inde recta ad portam. Liv. 4. 36. Idem evenit vocibus dextra et laeva, ut apud Liv. 1. XI. dextera (scil. parte vel manu) Tiberis arcebat. Nullis vero in exemplis haec ellipsis clarius apparet, constantiusque observatur quam in illis ablativis adverbiascentibus, qui sunt pronominum demonstrativorum relativorumque. 1. hac, hac quia me progressum videtis. Liv. 4. 28. perrumpere eadem, qua transierat Id. 4. 39. illac per portam circuitclam Pl. Asinar. 3. 3. 153. qua sequi poterat Liv. 4. 17. quacunque ibat Liv. 3. 48. 4. 13. quaqua incedit. Plaut. Mil. 11. 1. 14. quaqua tangit. Pl. Epidic. V. 2. 9. eadem biberis, eadem tibi dederim suavium, Pl. Bacch. 1. 1. 16. altera — altera eines Theils — andern Theils, altera connubium petimus, altera nihil novi. Liv. 4. 3. Quorum secundum exemplorum rationem ablativus una, omisso substantivo parte vel via, in eundem se insinuavit usum, ut sicuti adverbio simul temporis, ita una subesse loci notionem, non sit, quod miremur. Jam illi adverbiascentes sequuntur ablativi, qui, quamvis leviter mutati, originem suam perspicue indicant terminatione eademque producta. Cuiusmodi sunt haec adiectiva, quorum habent stirpes, ad quas referantur, altera, altera e similitudine reliquorum exemplorum cognoscuntur, invicem tum notionibus adverbiorum tum praepositionum adstrictae. Omnia autem exempla adiectivorum, quae primam secundamque declinationem sequuntur, sunt propria, vocali ē penultima syllaba maximam partem elisa. Hoc quoque nos fallere non debet, abl. adverbiascentes mascul. g. n. sing. adverbiis tantum, abl. fem. g. n. s. et adverbiis et praepositionibus assignatos esse. Citra vicem et adverbii et praepositionis sustenet, (ut citra Grabios Liv. XXIII. 14, et tela hostium cadebant citra, Tacit. hist. III. 23) atque ad adiectivum citer citerarum, pertinet. Citro adverbium tantum est hominis cursare ultro et citro. Cic. Rosc. Am. 22. Idem de formis supra, infra, extra, intra, ultra dici potest, quamquam alterius formae adverbia, ultro et intro, modo exstant. Nec nonnulla sunt adiectiva adverbiascentia, quorum nominativi, ad quos referantur, non reperiuntur. Huc pertinet citra; quam vocem adiectivi esse casum, adver-

bium circum documento est et substantivum cognatae significationes circus. Abl. circo in voce idcirco servatus est. Adverbium contra, in quod etiam praepositionis cadat vim ab adi. obsolito conter, era, erum originem trahere, gravissimum est argumentum forma contro, quae nusquam nisi in vocibus controversus et controversia reperitur. Quarum vocum numero, ergo, quamquam nec stirps nec quid suppleatur, in liquido est, adscribere licet. Neque ab his alienum est secreto, licet a participio sit deductum, consilia quae ab aliis secreto coquebant. Liv. III. 36. secreto illum adiutabo Pl. Truc. 11. 77.

Deinde eos ablativos nobis explicandos proponamus, qui, omisso substantivo tempore, adverbii sunt nacti potestatem. Huc igitur primum afferam (brevi te absolvam Pl. Eped. 111. 1. 10.) adquod abl. tempore subaudiatur esse necessum mihi videtur. Item repentino (repente exortus sum, repentino occidi Pl. Pseudol 1. 1. 37.) crastino, sero, diutino ad hoc genus redegerim. Repente etiam pro abl. adverbiascente habuerim Liv., 1. XIII. cuius nominativus exstat Liv. 1. XIV, repens tumultus exortus est. Praeterea plura exstant exempla, ad quae, licet iis, quae commemoravimus cognatae sint significatioris, non est quod suppleatur. Quorum in numero abl. adverbiascentes primo, secundo, tertio, postremo, subito, continuo, perpetuo, cito deprehendimus. Neque ab his exemplis praesto adv., cuius stirps antiquitate obscurata est, discrepat.

Tertio loco adverbiascentes ablativos, quibus notio modi vel rationis subest, pertractemus. Nam ad quae ratio vel modus potest subaudiri, non admodum pauca sunt exempla. Primo igitur loco ponamus antiquum abl. qui i. q. quomodo, quopacto. Sequuntur aliqua, aliqua ad patrem hoc ne permanet. Terent. Adel. 2, 4. 19. ne uxor aliqua resciscat Ter. Phorm. v. 1. 19. Ostendam fidicinam aliqua conductitiam Plant. Epid. 2. 3. 8. verum aliquod, aliqua, aliquomodo aliqua tibi spes et fore fortunam. Pl. Epidic. 19. 1. 10. falso. Liv. 1. 18. sedulo. 1. 41. raro. 1. 43. (forma vare apud Pl. Rudens IV, III, sl.) invenitur. fortuito Liv. 2. 28. fortuitu praebet Plaut. Aul. 2. 1. 41. tuto Liv. 3. 11. incerto idego scio Pl. Pseud. 11. 37. crebro. liquido. manifesto. assiduo, necessario, tacito, contrario, nimio. imo adv. ex tali ellipsi videtur fluxisse ita ut imo im unterſten pro nostro ein, im Gegentheil, diceretur. Pauca modo adiiciam de adv. nimis et satis. Nimis sine dubio ex abl. pl. nimiis sicuti gratis ex gratiis, contractum est; Eodemque modo satis mihi videtur verisimile, esse conflatum. Quibus exemplis adv. alternis simile est, ad quod subaudiri aliquid non opus esse arbitrer. Quoniam enim postremo, secundo, tertio, nulla altera notione subaudita, quid est quod impediat, quominus ablativum alternis pro integra notione poni statuamus. —

Adhuc autem de abl. adverbiascentibus, qui adiectivorum fuerunt casus, verba fecimus; qua re mentio eorum, qui a part. perf. pass sunt derivata, fieri debet. Nonnulla participia, ut litato, auspicato, composito, compacto, consulto primo obtutu videantur pro adverbiis posita, sed si ablativos consequentiae esse statuas, multo facilior reddetur explicatio. Nihilo minus plures inveniuntur ablativi part. perf. pass. qui sese in adverbiorum induxerunt consuetudinem.

Primum igitur locum adverbio profecto assignaverim, quod ad verbum proficere consentaneum est pertinere; atque hanc formam pro abl. consequentiae habere nemini veniet in mentem. Sequuntur ablativi bipartito, tripartito, qui non solum rationem eius rei, quae partita est, sed etiam adverbialem, a duabus partibus, continent, ut apud Caesarem bell. G. 1. 25. legitur, signa bipartito inferri iussit. Tres tribuni, postquam nullo loco Volscorum esse castra, neque commissuros se proelio, tripartito ad devastandas fines discessere. Liv. 4. 59. Hannibal urbem tripartito aggreditur. Liv. XXI- 111. Eandemque sententiam de ablativo sortito ferendam esse censeo ob mutationem significationis, cum notionibus fato, fortè respondeat, sortito id tibi obtigit Plaut. mer. 1. 2. 25.

De accusativis adiectiorum adverbiascentibus.

Alia exempla ellipsin, cuius ope notio integra reddatur, admittunt, alias plane respuunt, ita ut accusativum adverbi partes agere simus statuere coacti. Ad prius genus pertinent haec exempla: perperam esse accusativum adv. perperus, era, erum luce est clarius. Sed vocem esse omissam quae, etsi enunsiari non possit, sensum expleat, probabile est visum; neque recte an perperam interpretor scio Liv. 1. 23. Neque alia est ratio vocabulurum bifariam, trifariam, multifariam. His addideriis palam; licet stirps sit ignota, tamen terminatione origo proditur. Nam cum stirps ita esset antiquitate obruta, ut ne Latini quidem eam scirent, facum est, ut proposita particula pro, propalam evaderet. Sic Latini notionem haud definitam in animo habebant, cum pro alio tempore, alio loco dicerent alias et loco adverbii partim — partim usurparent; nam alias auxilia iuverunt, alias premendo hostem. Liv. 33. 21.

Ad alterum genus adverbia, quae numerum denotant, sunt maxime referenda. primum et diminutivum, quod apud Comicos legitur, primulum. Terent. Adel. III. 1. 2. Pl. Menchmi V. 5. 18. secundam haud dubie a verb. sequi profectum et atverbii et praepositionis vi est praeditum i secundum apud Plautum tertium, quartum, quintum. Ubi animadversione videtur dignum, Livium, si numerus magistratuum afferatur, quibusquis fructus sit, terminatione um, non ō (i. e. acc. non abl.) uti postremum. Quibus exemplis iterum esse affine probabile est. Eandemque normem in fingendis adverbiis, neglectae vulgari terminatione, plura sequuntur adiectiva. Nimium Liv. 2. 2. nimium pretiosa es operaria Pl. Bacch. 1. 1. 41. potissimum Liv. 1. 34. commodum te hercle ibam commodum Pl. Casu III. 4. 3. easque res agebam commodum. Pl. Rudens. 2. 6. 38. solum in ille notissima adverbiascit constructione, non solum — sed etiam multum loquax. Plaut. Aul. 11. 1. 15. miseri. Hich. 1- 3. 53. plurimum domi pugam, ibi plurimum est. Terent. Chor. 1. 4. 7. Te diligo plurimum. Cic. ad Divers. XI. 16. plerumque. Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat. Terent. Andr. 1. 11. 22. tantum (modo) huc videtur tangere, δεικτικῶς dictum, ſo groß, ſo viel adverbii naturam adeptum est atque nactro nur respondet, clanculum, nominat. non exstat, nisi

apud patres ecclesiasticos; praepositionis vim habet apud Terent. Ad. 1. 1. 27. clanculum patres. Qua occasione data apud animum meum statutum habeo, commemorari, insanum apud Pl. Mostel 1. 2. 79. adverbium non esse. Nam locus ille Plautinus „porticum? insanum bonam.“ simplici modo expediri potest, porticus ita bona est, ut insanum, c. e. incredibile, sit. Neque aliter res cum accusat. summum se habet. Tyrennus cum tribus summum equitibus (quod summum erat) Liv. 35. exituri hodierno aut summum crastino die. Liv. 44. 38. uno aut summum altero proelio arcem capturus XXI. 35. Ceterum autem et cetera, quae secundum grammaticorum placita adverbiorem numero adscribuntur, Graeci accusat. mere poni verisimilius mihi videatur. Ceterum id quoque ad gloriam accessit. Liv. 1, 48. qui et avitae gloriae memor et cetera egregius. Liv. 1. 32. Eandem etiam consuetudinem formandarum adverbiorum adiectiva tertiae decl. sunt imitata. Facile et difficile, recens nolite existumare belluas tantum recens captas. Liv. 38. 18. Volupe volupe rectitabam Pl. Most. 1. 2. 174.

Unum tantum exemplum quod nominativ. adverbiascentem praebet deprehendimus, versus eiusque composita. Pro primaria et genuina forma versus, non versum, habuerim, quod nominat. in hunc cedere usum ratione magis est censentaneum. Nam si „versus orientem" dicas, nil erit, quod rationi contradicat. Terminatio autem in um ex similitudine reliquorum adverbiorum est nata. Huic rationi „adversus" non obstat, cum non σύνθετον sed παρασύνθετον sit. Jam compositaadverbii versus afferamus, rursus e forma reversus contractum, coepi rursus versus ad illas accedere. Pl. Epid. 2. 2. 63. Unde factum est, ut rursus, ubi res repetitav, ponatur. horsus ex huc versus natum. Tedent. Hec. VII. 4. 36. prorsus pro porro versus. Ter. Adelph. 111. 11. 26. deorsus — sorsus Adelph. 4. 2. 35 extrorsus maritimam oram Liv. 6. 33. in exadversus ex quiescit. Item nominativus adverbiascere in dictum nudius tertius, nudius quartus, videtur, exempli gratia, nudius tertius meis manibus denumeravi. Pl. Epid. 111. 2. 31. heri et nudius tertius, quartus, quintus pater abiit. Pl. Most. 111. 2. 40. Nudius autem secundas non reperiri in causa est quod ad illud tempus denotandum Latini vocem heri adhibebant.

Hac re absoluta animum nostrum ad illa exempla quae ex subst. vel adiectivo et praepositione in unam vocem conflata in adverbiorum cesserunt indolem, expedienda applicemus. Cuiusmodi exempla sunt: extemplo i. q. statim, ilico, haud dubio ex extempulo, quae forma apud Comicos exstat, natum, tu extinguere extempulo Pl. Aul. 1. 2. 15. ubi ea est? inquam extempulo. Pl. Astul. 2. 3. 30. tempulum vero pro forma tempus in latinae linguae puentiae usu non alienum fuisse, concertare licet. Hoc ab exemplo ilico, conflatum, ex duabus e loco vocibus, minime differt. Qua de re simplici ī haec vox scribi debet. Pari origine est denuo, pro de novo dictum, Adamussim gut, ordentlich, apud Festum legitur; examussim vero, Pl. Pl. Amphitr. 11. 2. 21. quaestionem reddit aliquanto impeditiorem. Haud dubie prior compositio erat

2

adamussim, cuius secundum normam examussim factum est atque ex sicuti in exadversum Ter. Phorm. 1. 2. 36. quiescit. Amussim vero Festo teste adverbiascit. Affatim i. q. satis compositum ex praep. ad et obsoleto vocabulo fatis i. q satietas. Liv. 9. 35. Pl. Bacch. 14. 3. 94. pridie natum ex pro die. In eadem sunt causa admodum i. q. valde et propemodum i. q. paene. Altera etiam forma exstat propemodo, ut postmodo, facta. In adverbia quoque mutata sunt obviam, quod saepissime legitur et perviam, quod est apud Plaut. Aulul. 2. 1. 8. qui angulas mearum aedium et conclavium mihi facitis perviam. Huc etiam spectat incassum.

Mera item adverbia suat voces, quae ex propositione et pronomine relativo compositae in unam coaluerunt et ultimam syllabem, quae natura brevis est, producunt, Quare semper iunctim sunt scribendae. Huc pertineat antea, postea, postilla, posthac (pro posthuc) interea, propterea, praeterea, antidea nihil ab antea differt, quoniam eadem vox est, quamvis leviter mutata; Nam ē saepe transiit in ī, et d̄ ne male afficerentur aures, interpositum est. Ad similitudinem vero huius vocis postidea factum est.

Sub finem huius opusculi ea pertractavimus adverbia, quae ex adiectivo et substantivo in unam confluxerunt formam. Atque hac modo coniunctione adverbialem sibi comparavere vim. Sed ablativi tantum in hunc abierunt usum. Eiusmodi ablativi copulati et in adverbia mutati, sunt magnopere, maximopere summopere, licet hae voces, eadem significatione servata, nonnunquam disiunguntur, multimodis reperitur Pl. Mil. G. 4. 5 53 multimodis sapis. Sic ex hoc die profectum est hodie, quacum forma quotidie, postridie, perendie, quotannis quotcalendis comparare licet. Schneiderus autem quotidie et postridie pro genitivis habet *).

